



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 126. Lutetia Parisiorum a Burgundionibus occupata. Cædes ibidem  
perpetratæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)



junctis quoque Primariis Regni Ministris, Sæcul. XV.  
A.C. 1418.  
 veriti, ne a caussis publicis excluderentur, vel Burgundiæ Ducis indignationem experiri cogerentur, huic pacis articulo sese omnium virium contentione opposuerunt, adeo ut ferocius, ac olim denuo intestinum bellum exardesceret. Parisienses novos tumultus exosi, eorum Auctores persequuntur, & Burgundiæ Ducis factionem iterum iterumque corroborant. Ducis Amici, quorum plurimos Parisiis numerabat, die 28. Maji in tempesta nocte Joannem de Villiers Insulæ-Adami Dominum unacum octingentis Equitibus per portam S. Germani introducunt, clamantes; *Pax sit, & Burgundus!*

## §. CXXVI.

*Lutetia Parisiorum a Burgundionibus occupata. Cædes ibidem perpetrata.*

Populus, donec Equites usque ad plateas SS. Dionysii & Honorati penetrassent, quietus subsistebat, postmodum vero Parisienses agmine velut facto erumpunt, & se Burgundi copiis agglomerant. Tanaquilus Castelius, Lutetiarum Præfectus audito hoc tumultu accurrens, Delphinum e lecto arripit, & sua toga cubiculari involutum in Bastilliam, & inde



Sæcul. XV. inde Melodunum transfert. Rex vero,  
A. C. 1418. qui in suo agebat Palatio, Burgundis  
 cessit. Subin eadem copiae per totam  
 civitatem discurrentes, Armeniacorum  
 domum invadere, deprædari, pluresque  
 captivos abducere, quos non nisi data  
 ingenti pecuniarum vi libertati asserue-  
 runt; ipse Cancellarius captus ad Palatii  
 carceres ductus fuit; postera die idem  
 fatum tulit Connestabilis, ipso illo, in cu-  
 jus domo delitescebat, nequiter eum pro-  
 dente. Qui olim in exilia relegati fue-  
 rant, reversi sunt, & pleni audaciæ ac fu-  
 roris die duodecima Junii seditionem mo-  
 verunt, qua crudeliorem memoria homi-  
 num non tulit. Connestabilem & Can-  
 cellarium e Palatio vi extractos trucidant,  
 eorum corpora in foro judicii (\*) ex-  
 ponunt, inde vero ad alios convolant  
 carceres, Silvanectensem & Constantien-  
 sem Episcopos in forensi Carcere (*Le pe-  
 tit Chatelet* dicto) jugulant, ceteros præ-  
 cellis e turribus præcipites agunt, quos  
 misere dejectos, qui inferius stabant, e-  
 rectis hastarum suarum aculeis excepe-  
 runt. Duo fere cæforum numerabantur  
 millia.

## §. CXXVII.

---

(\*) *Hoc judicium lingua Gallica nuncupa-  
 tur Tabula marmorea, Table de Marbe, ibique  
 lites circa aquas & sylvas dirimi solent.*